

54, . 159.

sententia non ad alios quam ad suum Archipresbiterum et visitatorem spectabit, et ipse ad superiores suos redire omnibus modis cogatur. Quod similiter observandum putamus in Archipresbiteris respectu visitorum suorum.

24. *Responsum ad Considerationes quasdam à presbiteris appellanti-
tibus S^{mo} D. N. propositas pro Pace Stabilienda in Eccl. Anglicana.*

Cum alio iam scripto, separatim Ill^{ms} DD. VV. exhibito,* ostenderimus qualemcunque tandem presentis Regiminis ac Subordinationis mutationem grauissimis incommodis periculisque obnoxiam esse: hoc iam scripto hanc ab istis excogitatam propositamque noui regiminis ecclesiastici formam omnium maxima habere incommoda ostensuri sumus. Si enim res tota accurate perpendatur, facile apparebit illam quemadmodum precipua quadam ambitione ab initio ortum habuit, ita eandem semper esse futuram inquietudinis deinde perpetuæ ac maximæ causam, contentiones interminatas ac litigia prosemnaturam, presbiterorum mentes ab animarum cura ad alia auocaturam, eorundem corpora personasque plurimis periculis ac hereticorum insidijs exposituram, in causam futuram, ut cessent nobilium laicorum eleemosynæ à quibus suppeditari deberent quæ sunt ad uictum uitamque necessaria; denique multa in se continere, non modo absurda, sed considerato rerum nostrarum presente statu in praxi planè impossibilia.

54, f. 159b.

Hæc ubi ostenderimus facili uidebunt Ill^{mæ} DD. VV. quam sit futurum ab auctoritate ac Sedis Apostolicæ maiestate alienum si quæ iam sunt præclarè constituta ac breuibus apostolicis confirmata, ea ad paucorum [im]portunitatem conuellantur ac dissipentur, præsertim . . . hac presenti subordinatione ex quorundam hominum turbatione nata sunt incommoda, ea facilè sit una uel altera à Sanct^{mo} facta declaratione penitus de medio tollere, ut alio iam scripto ostensum est. Atque ut de singulis pauca dicamus.

* Perhaps the Memorial, of which a long extract is printed by Tierney, iii. p. clxxii. Cf. also p. clxxiv.

P^m. ad ambitionem quod attinet non multum de ea dubitauerit, qui mente recolat hanc ferè illam ipsam esse regiminis formam quam sibi prius inconsulta sede apostolica animo designauerunt hi ipsi inquieti, sub nomine associationis cuiusdam, qua contra monitum Apostoli sumere sibi uoluerunt honorem minimè à Deo vocati tanquam Aaron, contrà quam extant multorum presbiterorum precipuorum literæ quas memorat liber eorumdem Apologeticus S. S^{ti} inscriptus. Pretereà quorsum queso spectant tot Syndici, Archipresbiteri, Assistentes alijque officiales, ac eorumdem tam frequens singulis aut alternis annis idque per electiones habenda uicissitudo, quam ut presbiterorum animi, qui hoc persecutionis tempore per humilitatem ac obedientiam rerumque humanarum contemptum essent maxime consolidandi ac ad omnem virtutem affirmandi, uanissimo hoc planeque puerili magistratus gerendi ambitu uirtutibus uacui in superbiam ac omnimodam diffluant uanitatem ?

1° De ambitionis incommodo.

54, f. 160.

Ex eisdem etiam electionibus, congressionibus, suffragijs, sollicitationibus, visitationibus, appellationibus, frequentibus causarum examinibus, canonicis probationibus, quanta sequutura est animorum corporumque inquietudo, quot itinera, quantæ impensæ, quibus sane uix erunt satis uniuersæ illæ eleemosinæ quas tot modis ab hereticis hodie expilati suppeditare poterunt Catolici !

2° Turbatio, ac inquietatio.

Porrò quid aliud erunt hec omnia quam fertilis quædam seges atque continua discordiarum inter se et cum alijs fomenta, in quas uidentur isti adeo propensi ut cum articulo 4^{to} profiteantur se nihil quicquam cum patribus societatis habere, articulo tamen 12^o non dubitant eos ad rationem reddendam de pecunijs ac eleemosynis acceptis uocare, quod tamen tam de illis quam de alijs factum fore impossibile infra statim ostendetur.

3° Lites ac discordiæ.

Iam uero si ea omnia ac singula quæ hucusque dicta sunt accuratè, uti reipsa geri atque administrari necesse erit, omnesque circumstantiæ perpendantur; quis quæso locus erit non modo proximorum curandis animabus sed suis etiam proprijs, uti par erit, diuturnis ac quietis meditationibus alijsque pietatis exercitijs excolendis, ac ad opprobria pro Xp'o tormenta carceres mortemque

4° Distractiones perpetuæ ab animarum curis.

54, f. 160b.

ipsam oppetendam preparandis, cum tot alijs rebus ac cogitationibus implicabuntur ?

5° De Periculo detectionis, et comprehensionis.

De periculis, ac persecutorum insidijs quid attinet dicere ? cum in tam frequentibus faciendis congressionibus unius falsi fratris opera, quorum magna est copia, atque incredibilis hereticorum uigilantia qui ad hoc ipsum omni loco sedulo obseruandum ac inuestigandum magistratus iam particulares atque exploratores designarunt, prodentur facillimè uno ferè die plerique plurium provinciarum presbiteri : quod quamuis isti non multum fortassis modo extimescunt, timebunt tamen meritissimè ceteri qui, pro sua in fide constantia ac sedi apostolicæ seruata obedientia, sunt maxime fidei hostibus inuisi. Imo faxit Christus ut sub hac herba anguis aliquis minimè delitescat, cum iam libris impressis tumultuosi [jam] aliqui sint commi[nati] se tam Jesuitas quam Archipresbitero adherentes uelle persecutoribus prodere, de quo etiam promisso heretici libris impressis ab eisdem exigunt, ut fidem suam liberent.

6° Eleemosinarum subtractio.

54, f. 161.

Quod eleemosinarum sequutura sit subtractio si eiusmodi earumdem reddenda sit ratio, qualem isti postulant, manifestè liquet, cum non sit credendum uelle ipsarum contributores uel etiam distributores ut, cum capitis periculo per leges Anglicanas constituto, eorum nomina publicentur aut hereticis innotescant ; imo tantum abest ut uelint ullo modo sua nomina in album uel catalogum aliquem conferri, ut nunquam ferè nisi summo secreto ac hominibus fidentissimis eam rem committant, imposito etiam illis ipsis silentio, ne nomina sua illis enuncient qui eleemosinis sustentantur. Vndè frequentèr euenit ut presbiteri incarcerati alijque qui eas recipiunt benefactorum suorum nomina quoad obierint ignorent, imo non rarò accidit, ut ipsi etiam morituri, ne heredibus obsint, expressè prohibeant ne res ullo modo diuulgetur. Quantum uero periculum sit euulgationis, si tot rationes à tam diuersis tamque frequentèr mutandis officialibus per istos designatis exigendæ sint, quis non uidet, preterquam quod iniquum planè sit quemquam uelle cogere ut certis hominibus à nobis constitutis eleemosinas, quas spontè elargitur, tanto cum

periculo tribuat uel distribuendas committat, cum nos aliquos extremo supplicio affectos sciamus eo quod haustum ceruisiæ uel ientaculum sacerdotibus exhibuerint.^a Quarè cum hoc nouum istorum hominum inuentum de hac eleemosinarum collectione ac ratione reddenda eo manifestè tendat ut sacerdotes inter se committat æmulationesque maiores excitet et Catholicos laicos in apertum vitæ fortunarumque discrimen adducat, eaque re eleemosinis deinceps erogandis uiam omnem intercludat, clarum est nulla ratione à Catholicis in Anglia admitti posse. **54, f. 161b.**

Nescimus etiam quo isti spiritu adeo studiosè religiosos omnes cuiuscunque ordinis in hac sua Reipublicæ Ecclesiasticæ forma deuident, ut articulo 3^o eorumdem inuidia atque odio ab electionibus excludant eos etiam uniuersos presbiteros seculares qui uel voto uel proposito sint religiosi regulares. Hæc enim sunt eorum uerba. Articulo uero quarto patres societatis adeo diligentè arcendos à suis omnibus negotijs electionibusque uolunt, ut neque directè neque indirectè uerbo uel scripto, consilio uel auxilio, clam uel palam, domi uel foris, ullo modo eis adsint quæ omnia quam absona sint atque ab omni charitate ac pietate aliena et factu etiam impossibilia, cum in eadem Republica et in iisdem animarum negotijs cum illis unà uersentur DD. VV. Ill^{mae} uident. Nam hac ratione neque consilium dare in rebus dubijs neque pacem conciliare inter discordes, neque admonitione aut correctione fraterna uti erga delinquentes, nec alia Charitatis officia prestare poterunt. Illud uero quod omnes presbiteros etiam seculares qui uel voto uel proposito regulares sunt ab omnibus suis electionibus excludunt, quantum discordiarum incommodum inferre possit facile est iudicare, cum hoc pretextu omnes quos ulla ratione suspectos quisque habeat rebus suis non fauere voto uel proposito religiosos esse causabitur, quemadmodum iam libris impressis omnes siue presbiteros, siue laicos nobiles, imo Car'lem Alanum, Sanderum aliosque passim uocant Jesuitas, quotiescunque aliquid dicunt **54, f. 162.**

^a Some time before 1592 two gentlemen were executed, the one for giving a priest a quart of wine, the other a supper. Merris, *Troubles*, iii. 28.

faciuntue quod ipsis [minus] arridet, ex quo quanta dissidijs porta aperiatue clarum est. Imò de ipsis appellanti bus alijsque, multis qui proposita uel etiam uota ingrediendi religionem habuisse aliquando noscuntur dubium esse poterit an eadem penitus reliquerint necne, et consequentèr an sint ad omnes ipsorum electiones inhabiles.

8° Praxis
noua formæ
impossibilis.

54, t. 162b

Preterea in hac ipsis propositæ gubernationis praxi non modo maxima difficultas, sed omnimodo apparet impossibilitas. Quis enim bonis quietisque sacerdotibus persuadebit ut cum tot uitæ periculis ad tam frequentes ab ipsis designatos conuentus accedant? Quis laicos nobiles ut eos in suas ædes cum totius familiæ discrimine admittant inducere poterit? Quis ex quietioribus alicui ex turbulentis per ambitum fortè in superiores electis libenter subierit? multoque minus, quis ferre poterit, quod isti, suorum ut uideatur timentes fugam, articulo ultimo odiose addiderunt, ut à prouincia propria abscedentes ad superiores suos redire omnibus modis cogantur? Qui quæso erunt isti modi, aut quam ratione habebitur legitima illa criminum conuictio quam isti postulant art° 7°. quando conuicto in promptu erit tam de iudice quam testibus hereticorum opera uindictam sumere? Denique, quod supra etiam monuimus, plane reddetur impossibilis eleemosynarum non modo reddenda ratio, sed etiam ipsamet collectio, ut alia plura pretermittamus, quæ cuique rerum Anglicanarum perito statim occurrent obuia; nobis enim satis uisum est in re tam perspicua pauca quædem capita idque cursim indicare.

9° In presenti
subord^{ne} ces-
sant hæc
omnia In-
commoda.

Quod si è conuerso ad eam quæ modo uiget subordinationem, oculos animosque conuertamus, uidebimus profectò hæc omnia statim cessare incommoda eorumque loco ijsdem aduersa succedere maxima emolumenta. Ambitioni namque præcluditur aditus non ità facile frequentèr mutato magistratu, neque id unquam per inquietorum ambitum atque electiones. Quietis poterunt esse omnes sibi que, ut inquit Apostolus, attendere, atque doctrinæ discordiarum præscinderentur fibræ, cum uix unquam Archipresbiteri cuiquam facessant negocium nisi quis uel apertè moueat seditionem,

uel ualdè se præbeat in laicorum ædibus scandalosum. Pericula non erunt ulla noua declinatis frequentibus illis minusque necessarijs congressionibus. Eleemosynæ sicut hactenus citra dantis aut recipientis discrimen ad manus peruenient egentium. Religiosorum non, ut ipsi cauillantur, imperio, sed non inutili iuuari poterunt opera atque consilio; nisi tamen hac in parte aliud uisum fuerit Sanct^{mo} cui in omnibus parere sunt paratissimi. 54, f. 163.

Denique in hac subordinatione nihil hactenus apparuit admodum difficile, nedum impossibile, nec alia secuta sunt hactenus incommoda quæ non contingere possint in quacunque Rep^a uel optimè constituta, si liberum esset hostibus inquietis pro libitu tumultuari et superioribus suis impunè aduersari. Illud præter omnia iam dicta summopere animaduertendum uidetur hanc quam isti modo proponunt nouam Regiminis formam prius ab Guilielmo VVatsono scripto fuisse traditam, qui deinceps quotidie cum Pseudo-Episcono Londinensi agit familiarissimè atque author extitit libri illius Quotlibetici in quo quamplurimæ habentur propositiones erroneæ atque hereticæ.

25. *Refutatio Responsi P. Personij ad Considerationes à nobis S^{mo} D'no N'ro propositas pro pace stabilienda in Ecclesia Anglicana.* 54, f. 163b.

Cum ulcus hoc, quo inscie totius ecclesiæ quæ in Anglia est corpus contabescit, sanari ægerrimè poterit nisi ad uivum resecentur omnia, et morbi ipsius fontes et scaturigines aperiantur, antequam incommodis istis quæ subordinationi a nobis propositæ objiciantur occurramus, hæc pauca prefigenda censemus.

PP. Personium nec uocatum ut Aron, nec missum ut Moysen sibi ipsi hanc dignitatem et auctoritatem sumpsisse, ut in urbe ab anno saltem 97. omnia Anglorum negotia tam priuata quàm publica solus tractaret, solus informaret, solus promoueret, alijsque omnibus, qui in illius quasi uerba iurati non essent, omnem tum fidem, tum aditum, et successum ad superiorum aures præcluderet: Quod aduentus eius ad urbem causa fuerit istiusmodi rerum